

saria, maxime quia sine illa nullus posset digne et convenienter munus Prælati exequi; consequens falsum est; ergo. Major patet, quia nulla alia ratio talis necessitatis cogitari potest, cum reliqua omnia, quæ possunt esse de substantia talis muneris, possint facile reperiri, ut iudicium et sufficiens rerum notitia, ac recta voluntas, etc. Minor autem patet, quia illa disparitas professionis vel habitus non necessario impedit, quominus Prælati inferiores gubernet juxta eorum regulas et institutum, in quo potest et debet esse satis instructus; et ideo Clemens V, in dicta Clementina, solum dixit: *Cum rationi non congruat*; non vero dixit, *cum rationi repugnet, aut contrarium sit*. Congruitas enim in hoc consistit, quod disparitas religionis non conciliat amorem, vel in Prælato ad religionem ipsam, vel in subditis ad ipsum Prælatum, nec etiam juvat dissimilitudo habitus; per se autem constat hoc non esse necessarium impedimentum ex sola rei natura, nisi lex fuisset adjuncta. Imo etiam per legem posset aliis modis illi incommodo subveniri absque identitate professionis, argumento c. *Deus qui*, de Vita et honest. clericor., ubi in casu necessitatis ad tollendum scandalum, et ad ædificationem proximorum, debent homines disparis professionis se conformare in unum honestum habitum et propositum; sic ergo posset religiosus alibi professus eligi in Prælatum aliqujus religionis, dummodo se illi conformaret in habitu, et exteriori modo vivendi, quantum ad unionem sufficeret. Quod significavit glossa ultima in c. *In nona*, 16, q. 7; et Panorm., d. c. *Deus qui*. Tandem confirmatur, quia antiqui canones statuebant (quod nunc etiam fieri potest ex dispensatione Pontificis), ut, si in propria religione non inveniretur dignus, ex alia sumi posset. Supponitur ergo posse esse personam ex se dignam ad tale munus, etiamsi in eadem religione professus non sit; vel etiam supponitur, per excessum in aliis dotibus compensari posse diversitatem illam professionis; ergo absque ulla dubitatione conditio hæc non est ex sola rei natura necessaria, etiamsi ex se habeat congruitatem sufficientem, ut per legem humanam tanquam necessaria præcipi potuerit.

15. De prima etiam parte hujus conditionis idem dicendum censeo, scilicet, professionem personæ eligendæ in Prælatum non esse ex natura rei conditionem necessariam; esse tamen ita congruam, ut merito lex humana necessitatem addiderit. Hoc secundum a fortiori

ri constat ex dictis; nam, si professio ejusdem religionis habet illam congruitatem, multo magis professio absolute. Prior autem pars ex dictis in capite primo manifesta est. Duo enim requiruntur in hujusmodi Prælato: unum est voluntaria subjectio subditi per traditionem et votum obedientiæ; aliud est spiritualis jurisdictio. De primo constat posse religiosos, si velint, promittere obedientiam homini non professo, sed seculari clerico, non solum si sit Episcopus, de quo nullus dubitat, verum etiam si Episcopus non sit, posseque Ecclesiam tale votum recipere et approbare, quia non est per se malum, nec contra bonos mores, et in particulari posset esse utile. Idemque cum proportione est de jurisdictione; nam eadem ratione posset Pontifex (ad eum enim hoc primario pertinet) eam conferre Prælato seculari, sicut olim eam habebant Episcopi. Dices, hoc ideo esse quia Episcopi sunt in altiori statu, ut respondet Panormitanus, in cap. *Cum causam*, de Elect., num. 6, et bene quoad reddendam rationem juris communis, quæ pertinet ad congruitatem et decentiam, non ad absolutam necessitatem, seclusa lege prohibente. Nec enim semper necesse est ut Prælati sit in eodem vel altiori statu; satis enim est quod persona ipsa sit sufficiens ad tale regimen; ita enim professus in religione laxiori propter qualitates personales posset, seclusa prohibitione positiva, assumi ad regendum strictiorem religionem; presbyter etiam est suo modo in altiori statu quam diaconus, et clericus in sacris quam in minoribus, et nihilominus minores sæpe assumuntur ad gubernandos majores. Denique, quamvis lege ordinaria laicus non sit capax jurisdictionis spiritualis, nihilominus Pontifex de absoluta potestate posset illam conferre laico in personas ecclesiasticas; neque id esset per se intrinsece contra legem naturalem aut divinam, ut in tomo de Censur. disput. 2, sect. 3, num. 12, quamvis posset esse indecens et scandalosum, et ita per accidens malum; ergo eadem vel majori ratione posset Pontifex conferre jurisdictionem clerico seculari in religiosos, quia non minor, imo fortasse major disparitas est inter laicum et ecclesiasticos, quam inter clericum secularem et religiosos. Innocentius ergo præcipiens illam conditionem, affert legem divinam quasi in exemplum; nam illa divina lex etiam supponebat congruitatem in ipsa natura rerum, non absolutam necessitatem.

16. *An in professione requiratur antiquitas*

— Quæri autem potest ulterius circa hanc conditionem, utrum requiratur aliquod tempus seu antiquitas professionis in tali persona; vel statim post factam professionem eligi possit. Ratio dubitandi est, quia Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 7, de Regularibus, statuit ut Abbatisa non eligatur, nisi quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit; vel, si id fieri non potuerit, saltem quinque; ergo idem erit necessarium in Abbatibus, tum quia sub masculino genere solet comprehendi femininum; ergo et e converso; tum etiam quia major auctoritas, et vitæ approbatio in Abbate quam in Abbatisa videtur necessaria. Unde a fortiori id observandum erit in Generali religionis. Nihilominus dicendum est, necessarium non esse ut aliquod certum tempus post professionem transeat, sed statim per ipsam professionem expressam reddi personam capace[m] hujus prælationis, quantum est ex hoc capite. Ratio est, quia nullo jure præscribitur illa conditio, et ex natura rei necessaria non est. Primum patet, quia in corpore juris nec de Abbatibus, nec de Abbatissis, nec de Prælatibus religionis in communi aliquid simile invenitur, aut ab auctoribus refertur; decretum autem Concilii Tridentini potius ad oppositum induci debet, quia specialiter id statuens de Abbatissa, videtur relinquere Abbatem in communi et antiqua regula, ut in simili argumentatur Abbas, in cap. *Cum in cunctis*, de Elect., num. 6, et sumitur ex glossa ibi recepta, in cap. *Indemnitatibus*, de Electione, verb. *Trigesimum*, et verb. *Non obstante*, in fine. Unde, licet sub masculino genere comprehendi soleat femininum, non tamen e contrario, ut ad hoc propositum dixit expresse Abbas, in cap. *Super inordinata*, de Præbend., num. 8, cum glossa, in Clementina *Attendentes*, de Statu monachor., verb. *Cecidisse*; et habetur expresse in l. *Si ita scriptum*, ff. de Legatis, 2, ubi dissimilitudo rationis, fundata in usu verborum ac decentia, assignatur: *Exemplum enim (inquit) pessimum est feminino vocabulo etiam masculos contineri*. Quoad rem vero est etiam facile differentiam assignare, quia virilis conditio perfectior est et securior, et ideo non ita indiget hujusmodi temporis limitatione aut conditione. Secundum autem et per se est facile, et ex dictis in superiori puncto cum proportione ostendi potest, quia hæc antiquitas professionis, regulariter ac moraliter

loquendo, potest esse valde necessaria, ut quis mores religionis diutius et melius experiri, quæ experientia moraliter necessaria est ad recte gubernandum; non tamen est conditio simpliciter necessaria ex natura rei, non solum ad capacitatem, verum etiam nec ad dignitatem personæ; quia illa experientia potest aliis modis suppleri, vel conditiones aliæ et dotes personæ possunt esse tales, ut illum defectum compensent. Solum est cavendum ne ita eligatur aliquis repente professus ad hujusmodi prælationem, ut, illa jam vacante, ex seculari fiat religiosus et profiteatur, ut ad prælationem promoveatur; hoc enim adeo est in jure reprobatum, ut talis electio irrita decernatur, in cap. *Officii*, de Electione, etiam in eo casu, in quo electus paratus erat purgare se, quod nulla fuisset ad id ambitione inductus, ut ibi dicitur, quia (ut ibi etiam subjicitur) *ca his, quæ in continenti subsecuta sunt, ostenditur quod talis taliter non possit eligi in Abbatem*.

17. *Irritatio, de qua in cap. Officii, de Elect., fuit facta, et non tantum declarata.* — Occurrit autem circa illud caput dubitatio, an saltem prohibitum sit statim post professionem aliquem eligere in Abbatem vel Generalem; nam hoc videtur supponi in illo textu, cum tamen nullibi talem prohibitionem invenimus, et alioquin definiri non possit, quantum tempus intercedere debeat. Unde etiam difficile est rationem addere cur illa electio irrita declarata fuerit, quia ille defectus non erat per se sufficiens ex sola rei natura ad irritandam electionem, ut per se constat, quia illa celeritas vel etiam vera ambitio non affert secum incapacitatem, neque etiam ante illud caput invenitur jus ecclesiasticum talem electionem irritans; quomodo ergo potuit irrita declarari? Propter hoc dicere posset aliquis, illum fuisse electum in Abbatem priusquam esset professus, nam eodem die quo receptus est in monachum, electus est in Abbatem, ut in integra dicitur. Sed auctores non ita intelligunt hunc textum, et merito, tum quia monachum fieri in rigore magis significat professionem facere, quæ tunc fieri potuit statim primo die recipiendo habitum professorum, vel etiam expresse profitendo, et renunciando juri suo; tum etiam quia nec talis ratio dubitandi proposita est, cum tamen futura esset potissima, nec Pontifex in illa fundatur, nec præcipit professionem facere ut iterum eligi possit; sed solum ut competenter instruat et purgetur. Censeo igitur elec-



tionem illam particularem non fuisse nullam ipso facto, propter rationem allatam, et consequenter verba illa: *Irritam esse decrevimus, et inanem*, non significare sententiam tantum declaratoriam nullitatis, sed effectricem talis nullitatis, irritando id quod factum erat, quamvis non esset per se irritum; ad irritandum autem sufficiens ratio fuit vehemens ambitionis præsumptio, orta ex his quæ in continentia facta sunt; nam ut in integra dicitur, eodem die in quo monachus est effectus, fuit in Abbatem electus. Accessit etiam quod illa persona non satis digna et sufficiens reputata est, eo quod antequam esset discipulus, voluit esse magister.

18. *An etiam irriter in posterum similes electiones.* — An vero id statuerit Pontifex, ut in posterum similis electio, sic facta, sit irrita ipso facto, dubitari potest propter vim verborum: *Irritam esse decrevimus, et inanem*. Quæ ferri videntur non solum in illam electionem, sed in omnem similem. Quod licet fortasse defendi possit, mihi tamen probabilis videtur ibi legem statui, ut in simili casu possit et debeat cassari electio, prout ibi Innocentius indicat, et Hostiensis, quia verba textus non aliud in rigore postulant, et non sunt amplianda in materia rigorosa; at lex illa, ut respicit ambitionem, pœnalis est; ut vero fundatur in personæ insufficientia, non est tam evidens indignitas, ut sufficiat ad nullitatem. Hinc autem inferri videtur, quoties electio religiosi ad hujusmodi prælationem est nimis præmatura, etiamsi post professionem fiat, posse irritari, et consequenter infertur, ut electio sit omnino rata et firma, necessarium esse ut aliquod tempus a professione interjectum sit; hoc autem videtur præter consuetudinem, et contra rationem, quia nullum certum tempus ibi designatur, nec designari potest.

19. Dicendum tamen est, imprimis ibi non tantum considerari brevitatem temporis post professionem, sed subitam mutationem a seculari statu usque ad prælationem, addita etiam illa circumstantia, quod mutatio facta est vacante abbacia, nam ex his omnibus simul sumptis, et ambitio et insufficientia valde præsumitur; ideoque quoties similes circumstantiæ occurrerint, irritandam esse electionem; quod adeo verum est, ut sine dispensatione Papæ fieri et confirmari non possit, ut ibidem significatur, ut recte Panormitanus notavit. Nihilominus addo, nunc moraliter loquendo, nunquam esse irritandam

electionem propter celeritatem ejus, post legitimam professionem electi, nisi aliunde manifeste redundet in personæ electæ insufficientiam et indignitatem. Probatur, ex eod. cap., verbis illis: *Verum postquam fuerit in regula competenter instructus*. Ubi glossa et Doctores ad summum requirunt annum ad hujusmodi instructionem, vel committendum dicunt prudenti arbitrio; nunc autem ad professionem faciendam prærequiritur annus integer religionis, in quo, si persona sit tantæ capacitatis, ut sit digna prælatione, profecto etiam poterit competenter instrui in regula religionis; ergo, nisi persona alioquin sit indigna, vel ambitio, aut vehemens præsumptio ejus intercedat, sola ratio, seu brevitatis temporis post professionem, non infirmit electionem, ut ob eam causam cassari possit. Quod sensit Fredericus de Senis, cons. 252, cum Joan. Andr., in cap. *Cum ad nostram*, de Elect., ubi additio ad Panormitanum idem notat.

20. *Tertia conditio, sacerdotium.* — *Hæc sacerdotii conditio nullo jure postulatur, sive potestatem dominativam spectes, cum non sit jurisdictionalis.* — *Sive spiritualem jurisdictionem, cum sufficiat prima tonsura.* — Tertia principalis conditio necessaria in persona eligenda ad prælationem religionis, præsertim supremam, est ut sit sacerdos, ex cap. 1, de Ætate et qualitate. Certum est autem hanc conditionem non esse requisitam jure divino, vel naturali, quia nullam habet intrinsecam connexionem cum tali munere, vel positivo, quia nullum est de hac re scriptum vel traditum. Deinde si in hoc munere præcise spectemus potestatem dominativam, et subordinationem religiosam, ortam ex votis et professione, etiam ex communi et antiquo jure ecclesiastico non esset necessaria hæc conditio, imo nec alicujus ordinis vel primæ tonsuræ; quia cum illa potestas non sit jurisdictionis spiritualis, de se non requirit ordinem vel inchoationem ejus. Sic enim antiqui Abbates nec sacerdotes, imo nec clerici erant, ut colligitur ex c. *A subdiacono*, d. 93, præsertim prout a Gratiano legitur; et ita ex illo colligit glossa, in c. *Tuam*, de Ætate et qualitate, et Panorm., in c. 1, de Ætate et qualitate. Quamvis in ipso can. 7 Concilii Romani, sub Sylvestro, prout in 1 tom. Conciliorum refertur, nulla fiat Abbatis aut monachi mentio, tamen ex aliis decretis, 18, q. 2, idem colligi potest. Et fortasse verum est, etiamsi inter religiosos subditos aliqui sint sacerdotes, quia

ex vi illius potestatis non subduntur ut sacerdotes, nec quoad actus jurisdictionis, sed quoad disciplinam religiosam; nec in eo esset intrinseca indecentia; quia quoad illum modum regiminis magis consideratur æqualitas professionis, et super omnia perfectio virtutis, et ita credo sæpe contigisse in antiquis religiosis; nam Equitius, Pachomius, Antonius, qui presbyteri non fuerunt, nec fortasse clerici, in suis monasteriis presbyteros aliquos sibi religiose subjectos habere potuerunt. Et S. Franciscus sacerdos non fuit, ut refert Bonaventura, in expositione suæ Regulæ, c. 7, et fortasse in principio suæ religionis nec clericus fuit, quantum colligi potest ex discursu vitæ ejus, quam Bonaventura scribit, et tamen etiam tunc nonnullos religiosos sacerdotes habuisse in sua religione, licet paucos, refert Bonav., d. c. 7. At vero considerando in Prælatu religionis spiritualem potestatem, ex generali lege canonica necessarium est, et sufficit, ut sit clericus, quia laicus etiam religiosus non est capax spiritualis jurisdictionis, ut supra dixi. Quod autem sit sacerdos, non videtur necessarium, quia quicumque ordo, etiam prima tonsura, sufficit, quantum est ex generali ratione spiritualis potestatis. Nec etiam ex speciali ratione jurisdictionis religiosæ videtur hæc conditio necessaria, aut aliquo jure præscripta; nam in d. c. 1, de Ætate et qualitate, solum mandatur, ut *Abbates, decani, et Præpositi, qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant*; illa tamen non ponitur ut conditio necessaria, ut eligi possint ad tales dignitates, nec de religiosis aliquid ibi speciale dicitur. Adde D. Franciscum fuisse Generalem sui Ordinis, qui tamen sacerdos non fuit, ut dixi; idemque Sanctus in sua Regula statuit, ut conversi sui Ordinis sine ordinibus sacris possint esse Prælati.

21. *Postulatur tamen dicta sacerdotii conditio, saltem post electionem debito tempore suscipiendi, propter curam animarum subditorum.* — Dicendum ergo censeo, conditionem hanc in tantum esse jure communi necessariam in persona eligenda ad hanc prælationem, in quantum in omni persona, cui cura animarum committitur, seu confertur beneficium, aut dignitas habens annexam hanc curam vel obligationem, postulatur. Ratio est, quia nullo speciali jure imposita est circa hoc major obligatio vel necessitas. De jure autem communi necessarium non est ut, qui promovetur ad curam animarum habendam,

sit jam sacerdos quando promovetur; sed satis est ut per promotionem ipsam seu beneficium obligetur ad sacerdotium suscipiendum. Quod notavit Abbas, in d. c. 1, de Ætate et qualitate, et colligitur ex eodem textu, et ex c. *Præterea*, eod. tit., et c. *Si pro clericis*, de Præbend., in 6. Ita ergo in præsentia, quamvis religiosus professus nondum ordinatus sacerdos in Prælatum religionis eligeretur, jure communi non esset irrita electio, nec irritanda, quia nullum haberet juris defectum; teneretur autem sic electus debito tempore ordinari, tum ex d. c. 1, ubi nomine Abbatis omnes intelligunt comprehendi Prælatum religiosum, nomen etiam Præpositi proprie illi convenit. Ratio vero est, quia nunc Abbates seu Prælati religionum habent propriam curam animarum; necessarium autem est ut pastores animarum sacerdotes sint, quia alias nec poterunt per seipsos subditis peccata remittere, neque pro eis offerre, aut Eucharistiæ sacramentum tribuere; quod magnum inconveniens est, quia deesset illis potestas ad præcipua munera sui officii, cui non semper possunt per alios convenienter satisfacere; et præterea postquam in religionibus quamplures et præcipui sunt presbyteri, indecens profecto esset Prælatum non esse sacerdotem. Quæ ratio, moraliter loquendo, probat, etiam ante electionem esse debere sacerdotem; ex decentia tamen, et ex communi cursu rerum, non ex necessitate, quia de hoc nulla est lex.

22. Dicitur vero potest, regulariter necessarium esse, ut eligendus sit ordinatus in sacris: ita colligitur ex c. *Tuam*, de Ætate et qualitate, ibi: *Cum, instante necessitatis articulo, possit in Abbatem assumi, etiam in minoribus ordinibus constitutus*. Nam per argumentum a contrario colligitur, extra articulum necessitatis debere esse ordinatum in sacris, qui Abbas constituitur, et ita notat ibi Panormitanus; nam si ob necessitatem potest fieri Abbas, qui non est ordinatus in sacris, ergo extra necessitatem, atque adeo regulariter non poterit eligi nisi ordinatus in sacris. Verumtamen satis probabile est, quod et glossa ibi indicat, ibi esse sermonem de irregulari, qui non potest in sacris ordinari, ut indicant illa verba textus: *Instituas in Abbatem, ita, videlicet, quod ad sacros ordines non ascendat*. Unde fit ut ibi appelletur non constitutus in sacris, non omnis ille, qui actu non est ordinatus, sed qui nec potest etiam ordinari; unde glossa ultima advertit, Pontificem, per